

Dissertatio medica inauguralis, de morbo coxario ... / eruditorum examini subjicit Joannes Watts.

Contributors

Watts, John, 1786-1831.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat Joannes Moir, 1809.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/apbcnqwu>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

MORBO COXARIO :

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES WATTS,

AMERICANUS,

A. B. COL. COLUMB. NOV. EBORAC.

SOCIET. AESCULAP. AMERIC.

NECNON

SOC. REG. MED. EDIN. SOC.

VIII. Kalendarum Julii, horā locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

1809.

СЕВЕРНЫЙ ОТДЫХ
САМЫЙ ДОБРОГО

САНКТ-ПЕТЕРБУРГ - ОДНОМ

неделе

■ Красивые пейзажи

Санкт-Петербургской губернии

Санкт-Петербург - Один из самых

красивых городов

Санкт-Петербург - один из самых красивых городов в Европе. Он расположен на берегу Финского залива и является столицей Российской Федерации.

Санкт-Петербург - один из самых

красивых городов в Европе. Он расположен на берегу Финского залива и является столицей Российской Федерации.

Санкт-Петербург - один из самых

красивых городов в Европе. Он расположен на берегу Финского залива и является столицей Российской Федерации.

Санкт-Петербург - один из самых

красивых городов в Европе. Он расположен на берегу Финского залива и является столицей Российской Федерации.

Санкт-Петербург - один из самых

красивых городов в Европе. Он расположен на берегу Финского залива и является столицей Российской Федерации.

Санкт-Петербург - один из самых

красивых городов в Европе. Он расположен на берегу Финского залива и является столицей Российской Федерации.

Санкт-Петербург - один из самых

красивых городов в Европе. Он расположен на берегу Финского залива и является столицей Российской Федерации.

Санкт-Петербург - один из самых

красивых городов в Европе. Он расположен на берегу Финского залива и является столицей Российской Федерации.

Санкт-Петербург - один из самых

PATRI SUO

INDULGENTISSIMO BENEVOLOQUE

ROBERTO WATTS

ARMIGERO,

AMORIS, AMICITIÆ, ANIMIQUE GRATI,

TESTIMONIUM

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

VULT

FILIUS.

ОДИНАДЦАТЫЙ

ВОСЬМАЯ ВЕЧЕРНЯЯ МАСЛАНОВАЯ

СТАРИЙ ОТЯЗЫЙ

ОДИНДЦАТЬШЕСТЬ

ВОСЬМАЯ ВЕЧЕРНЯЯ МАСЛАНОВАЯ

ОДИНДЦАТЬСЕМЬ

СТАРИЙ МИНОВИЙ

СЕДЬМОЙ

СЕДЬМОЙ

NICOLAO ROMAYNE, M. D.

COLLEGII REGII MEDICORUM EDINBURGENSIS

SOCIO

ET

COLLEGII MEDICORUM AC CHIRURGORUM

NOVI EBORACI

PRÆSIDI DIGNISSIMO,

OFFICIORUM, BENEVOLENTIÆ, COMITATISQUE

H O C

ANIMI RECORDANTIS

MONUMENTUM,

POSUIT

AUCTOR.

ДЛЯ ЭКСПОЗИЦИИ ОДНОЙ

СОВЕТСКОЙ МАСТЕРСКАИХ ТЕХНИКИ И СОСУДОВ

СССР.

73

СОВЕТСКОЙ МАСТЕРСКАИХ ТЕХНИКИ И СОСУДОВ

СССР.

ДЛЯ ЭКСПОЗИЦИИ ОДНОЙ

СОВЕТСКОЙ МАСТЕРСКАИХ ТЕХНИКИ И СОСУДОВ

СССР.

СОВЕТСКОЙ ТЕХНИКИ

СОСУДОВ

СССР.

СОСУДОВ



VIRO REVERENDO

ISAACO WILKINS

HOCCE,

AMICITIAE ET VENERATIONIS

DOCUMENTUM,

SACRAT

JOANNES WATTS.

1870-1871

1870-1871

1870-1871

1870-1871

1870-1871

1870-1871

1870-1871

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MORBO COXARIO.

AUCTORE JOANNE WATTS.

PROEMIUM.

MORBUS de quo mihi agere consilium est, notus fuit omni aevo, neque aliquae regiones eo carent.

Accedit iis partibus femoris et ossis innominati quae articulum faciunt. Illam affectionem strumosam quae genu adoritur, simulare dicitur. Accessus tamen multò magis

insidiarum habet; eum tantummodo saepe antecedunt levis debilitas claudicatioque membra affecti.

Hic sicut alii artus, perpaucis vasis instruitur; et ex effectibus casūs aut morbi tardissimè sanatur; etiam sicut multae aliae partes corporis, torquetur gravibus et periculosis morbis, qui vel ad strumam attinent, vel aliquo modo exindè oriuntur.

Anatomia hujus partis morbo confectae, praesertim stadio ineunte, adhuc parum intelligitur; neque nisi ex casu sperare possumus hanc rem in futurum aliquid lucis accepturam esse; unde difficillima fit haec pars chirurgiae.

Non sit ineptum breviter memorare rationes scribendi de re, quae p̄ae sua gravitate majore ingenio digna est. Proposuit mihi **MONROIUS** Tertius Anatomiae Professor, ut de hoc minus exagitato potiusquam tritis argumentis dissererem, et ut ejus privatus disci-

pulus essem, dum medicus *Communi Dispensario* erat; sic pleraque si non omnia symptomata hujusce morbi ab exemplis plurium aegrotorum, eo tunc temporis curante, notare et colligere valerem; quae argumenta me sperare et commodum invenire duxerunt, quod nulla res alia praebere videtur.

Historiam et curationem hujus morbi breviter narrare cura mihi fuit. Haec narratio manca est, quia parva experientia et paucae occasiones mihi fuerunt eum cognoscendi; non profiteor aliquid novi proferre; quoniam in principio morbi mihi deerat facultas conditionem partium videndi.

HISTORIA.

HIC morbus adeo sensim et paulatim invadit, ut vix diu percipiendus sit. Dolor artus admodum mitis est, et aegrotus assuetâ excitatione, morbo jam formato, aliquandiu

utitur; minimi aut nihili eum habet, neque valetudo ei labescit.

Saepe claudicatio princeps est indicium, quam primo nullius momenti, et aegro ipsi fere non observatam, amici ejus ad consuetudinem mali moris, aut aliquid attentione indignum, referunt.

Si dolori, sensus fatigationis atque pondoris partis laborantis accederet, hebetudine atque debilitate comitantibus, quae inter prima indicia plerumque sunt; haec ex lumbribus intestinorum, aut exercitatione vehementiori vel assiduâ, aut morbo congenito oriri feruntur; et si proiectus aetate sit aeger, inepite rheumatismus aut podagra judicatur adesse.

Tamen sunt symptomata, uti opinantur DOM. FORD et alii, quae hunc morbum luculentter designant, ut, claudicatio supra dicta, incipiens debilitas cruris atque femoris, succedens dolor primo levis sed postea paulatim

ingravescens, inclinatio corporis non sine difficultate, macies membra, rigor artus, dolor motu intentus; et nonnullis est difficultas distrahendi crura, aut forsan in unum ferendi.

Etiamsi ista symptomata hunc morbum existere clare ostendunt; attamen saepius fit, ex parvo incommodo quod revèra existit, ut auxilio non opus esset, donec morbus profectus insanabilis evaserit. Sed si aegrotus duceretur felice prudentia ad opem quaerendam, ut primùm ullum signorum jam memoratorum apparuit; medico res magni momenti erit, quoad eventum, morbo inēunti tempestivè occurrere, ad cuius primum stadium propriè considerandum nunc progrediamur.

PRIMUM STADIUM.

Ut primùm claudicatio et debilitas femoris atque cruris apparuerint, membrum attenuatum tūm in femore tūm in sura inveniatur; porrò longitudinis mutatio notatur, mem-

brum plus minusve producitur, et hoc interdum fit ad duos aut tres pollices, ut facile videatur ex praexceptis memoratis a Dom. FORD, viz. aeger supinus jaceat, utroque crure aptè extenso ut invicem comparetur; patella et condyli femoris membra affecti satis evidenter infra easdem integri partes apparebunt; vel major trochanter, aut internus malleolus tibiae, cum consentaneis partibus membra integri conferantur. Convexitas et natis plenitudo in latere affècto manifeste mutantur, planior et mollior fit, interdum multò latior, et pollicem infra eandem partem deorsùm prominet: Erat homo in valetudinario Bathoniae qui natem sinistri lateris saltem tres pollices latiorem quam dextri habuit.
Vide FALCONER.

Erecto aegro tumor qui deorsum versus femur spectat valde notabilis videtur; et amplior, si cum specie alterius membra componatur. Prominentia capitis et cervicis ossis femoris tactu distinguitur. Tuber Ischii sani lateris in multis exemplis, sed non in

omnibus, detegitur tactu esse paulò elatius
quàm affecti.

In nonnullis exemplis pone trochanterem majorem aeger fixum dolorem queritur, profundum, per pressuram partis dolentis ingravescensem, sed nihil molestiae summae cutis adhuc notatur. Quum hic dolor gravis fit, ultra sedem mali vagatur, deorsùm ad genu viâ musculi *vasti externi*, qui cum glutaeo maximo flaccet et morbo conficitur; exindè dolor petit extremam partem fibulae et malleolum externum; dolent etiam saepe inguina, cuius glandulae lymphaticae interdum adaugescunt.

Dolor genu, qui saepe in hoc morbo notatur, aliquando tam maximè ingravescit ut aeger summo dolore torqueatur; sic interdum genu pro situ ipso morbi malè judicatur; genu tamen semper integrum est, nec molestia aut in flectendo aut in extendendo augetur. Hoc non femori contingit, cuius motus aegroto maximum dolorem molitur.

Aliquando dolor superiorem partem musculi *pectinacei* torquet; tum ad interiorem partem femoris, prope ad adductores tricipitis, vasti interni, et recta deorsum a genu ad internum malleolum descendit. Membrum affectum pondus corporis, ut decet, sustinere non potest; et extorsum e corpore, genu flexo eminet; atque aeger assuefactus praecipue alteri membro inniti, tantum cum digitis pedis membri laborantis, humum attingit; hic situs corporis plerumque magis dolore vacat, et omnis conatus ad membrum extendendum dolorem fert. Tamen non desunt exempla, in quibus aeger potest describere orbem digitis, tam facilè quam pedem afferre. Postquam claudicatio aliquandiu manserit, multò celerius augetur, et aegrotum impellit, ut sibi auxilium e manu peteret ad artum movendum. Hic rigor artus et difficultas movendi maximè tempore matutino patent, et interdiu nonnihil immunuuntur usque ad vesperam, cum dolor et fatigatio ingravescunt. Jam pulsus prope naturalis observatur, cutis frigidula, alvus re-

gularis; equidem parvum aut nihil mutatur valetudo generalis; aegrotus viget, et valet, ut antea, ad se exercendum. Haec in primo stadio morbi fere signa sunt. Tamen interdum fit, ut morbus diu permaneret, et articulus penè resolvatur, antequam malum aliquid attentionis aut curae cieverit; undè res est magni momenti, quām celerrime deprehendere morbusne existat; quod secundum DOM. COOPER, optime fit pressurâ admotâ propè externam partem arteriae femoralis; paulo postquam in pelvis labrum descenderit; haec non parvum dolorem efferet si articulus male se habeat; et si membrum doleat et emacrescat, morbi testimonium corroboratur.

STADIUM SECUNDUM.

TANDEM doloris acuti stadium accedit, tumore atque rubore circa clunem comitantibus, quae ad suppurationem proclivitatem declarant. Haec tamèn primò levis est et

sensim progreditur, praesertim si indoles strumosa aegro adesset. Sed si ab ictu proveniret, quo junctura laeditur, symptomata pertinentia ad locum multò graviora fient; et verisimile est, ut febris aggressio ardantis sequatur. Haec inflammatio articuli ab externâ vi orta, etsi primò acuta sit, tandem speciem diurnae inflammationis, ut in strumâ, induere possit, et hoc modo sanatio difficilior est, et maximam peritiam ad aerumnas citius finiendas postulat.

Contractio fit artûs plerumque post suppurationem; saepe tamen citius evenit, et nonnulli illam hanc indicare existimant; sed hoc est minimè verum; contractio enim membra interdum apparuit multo citius quam suppuratio seu symptomata febrilia, et nonnunquam observata est fieri in iis exemplis, quibus morbus per omnia stadia nullo abscessu facto, usque ad ankylosin procedit.

Quando ad suppurationem citò progrediatur, quae nota pessima morbi habetur; loca-

lia symptomata intenduntur; teneritas, irritabilitas, et amplificatio partium circa articulum ingravescunt; pars tactu dolet, et superiores et exteriōres partes femoris turgescere distinctē notantur; ubi pus plerumque fit et prominet. Nunc ipsum opinor femur contrahi jamjam partibus circumjacentibus mirum in modum corruptis. Nunc jam etiam macies membra magis manifesta est; contrahitur sursū ad inguen, ferè non facile movendum, nec diutiū truncum sustinendo idoneum. Aegrotus ergo a grallis praesidium petit; quibus, membro auxiliante integro, conditio ejus melior fit, donec tempus veniat quandò pus, quod crassum seu dilutum est, commis-tis coagulis, et naturā sero lactis assimili effundatur. Si habitus aegroti alitèr commodus esset, et vires a morbo non nimiū resolvantur, haec symptomata diù manere possunt, et tandem forsitan morbus sanetur, postquam diu morbo in cubile detentus esset, torta coxa et membro confecto; quod aut nexū parūm securum cum osse innomina-

to habet, aut ope anchyloseos coxae adhae-
reat. Tamen saepius fit ut signa tristia quae
comitantur affectiones interiorum partium ar-
ticulorum appareant, nimirum languor, cibi
fastidium, febris hectica, alvus fluens et su-
dores nocturni qui finem miseriis aegroti se-
riùs oxyùsve ducunt.

Notandum, suppurationem non semper
ulcerationem coxae ideo consequi, nam in-
dies obvenerunt exempla, et mihi occasiones
fuerunt, in quibus aegroti omnia morbi coxae
stadia sine externa suppuratione subiérunt.

Quaedam exempla occurrunt, etsi perrara-
sunt, in quibus nihil febris aut ullum mali
contingit; quae tamen nonnullis signorum
graviorum hujus morbi, viz. productione,
contractione, extenuationeque membra, et
abscessu facto designantur, &c. &c.

Cum in hoc morbo suppuratio jam' acces-
sura est, quae motibus et jactatione aegri in-
ter dormiendum optimè cognoscitur, pulsus

valde frequens fit, sed minus plenus et fortis quam esset, si parti plura vasa fuerint; aret et calet cutis, aeger inquietudine atque pervigilio vexatur. Quando haec indicia ad sint, ad leniendam febrem quae facilè et citò spectat ad hecticam summâ curâ opus est.

Vide FALCONER.

Abscessus jam factus plerùmque apud majorem trochanterem supra musculum vastum externum invenitur; interdum apud anteriorem posterioremve partem femoris, fortassè ad inguen; saepè circà natem apud superiorem coxae partem, aut propius ad lumbos, et saepe haec omnia loca vicissim occupat. Pus seriùs ocyùsve spontè seu arte exit, cui verisimile est ut febris hectica succedat. Pure jam factò, interdum crepitum, ut a fracturâ audire licet; scilicet ex absorptione cartilaginis et ossis, atque partibus se invicem atterentibus.

Ut abscessus pus exire permittunt, cruciatus aliquantùm mitescit; uno sinu aut ul-

cere arente, alter pus copiosius emittit; imo etiam novi abscessus fiunt; tunc cartilagines exulcerantur; pus, quod intenderat capsulam, effunditur; et tumor partium intra acetabulum, quae caput ossis extrorsum truserat, subsidet; caput ossis iterum concidit intra acetabulum; membrum primò mirum in modum elongatum; nunc exulceratione facta, contrahitur. Vide J. BELL, Princip. Chirurg.

Si apertura, per quam pus redditur, non satis ampla sit, ut facilè exiret, aegro dolor est gravissimus ex pure inclusio, et interdum id detentum, ex ulcerato acetabulo, occidit; unde caput femoris in cavum pelvis cadit, aut abscessus in rectum effunditur; quod dejectiones purulenta testantur. Frusta ossium interdum per ulcera transeunt.

Notandum est hepticam non semper indicare suppurationem praesentem; nam aliquando fit ut hoc morbo laborantes graviter torqueantur hepticâ, antequam pus factum

sit. Tamen exulceratione jam superveniente, habitus multò magis labescit; cibi appetitia perit, vigilia urget, pulsus exilis et frequens est; haec tandem caeteris signis, jamjam recensisitis utpote hunc morbum in stadio proiecto comitantibus excipiuntur.

Progressus suppurationis levem tensionem et aliquantum teneritatis parte pressâ percepiae fere habet. Tamen non semper eveniunt assueta indicia, quibus pus fieri indicatur; nam etsi inflammatio atque febris plerumque adsunt suppurationi, sane interdum fit ut haec signa omnino deessent.

Saepe contingit, cum pus sponte effunditur, abscessum iterùm aliquandiu claudi; aegrotus fruitur satis bonâ valetudine, quamdiu nulla arte fit abscessûs ulterior evacuatio; quae fere semper auget periculum, quod multo minus est si medicus vi naturae nitatur.

Aperturae, per quas abscessus hujusmodi

exonerantur, plerumque pus mali moris diu emittunt; imò tandem fiunt termini sinuum spectantes ad corruptum articulum. Pure effuso, aeger per plures menses facultate sese adjuvandi carebit, adeo ut vix in cubili prae angore cruciante articuli tangi sustineat.

Sæpe fit, ut omnia graviora signa, sudores colliquantes, alvus citissima, summa macies, et resolutio virium, appareant; etiamsi maxima peritia curantis fuerit. Tamen aliquando omnia tollentur idoniis remediis adhibitis, si scalpellum, et motus membra, quam maxime vitentur.

Cum articulus spectat ad anchylosin, nisus quo membrum affectum sustinet truncum, hâc nondum perfectâ, causa erit magni doloris atque irritationis articuli, aut forsà omnia symptomata longè graviora redibunt, quibus aeger paulò antè immunis factus erat. Ferè molestia, quam nisus artûs affecti facit, dicit aegrum ad consuetudinem membro integro corpus sustinendi; haec citò quasi na-

turalis fit, quae semper causa est spinae plūs
minūsve tortae in junioribus, et etiam con-
tractae aperturae pelvis superioris, ex osse
sacro curvato; quod malum maximi est foe-
minis contingens.

Si aeger convalescat ex leviore morbi im-
petu, reditus ejusdem ex noxis levioribus ad-
motis, metuendus est.

Aegri interdum convalescunt post suppu-
rationem; membro plūs minusvè contracto,
aperturae sinuum articuli mòdo obducuntur,
mòdo plures annos pus effundunt, donec pro-
clivitas ad anchylosin fiat, quae postea sen-
sim firmata, tandem par evadit corpus susti-
nendo. Hic finis plerumque contingit juni-
oribus; suppurationis enim provectiones aetate
plerūmque occidit.

Saepè fit dolorem et alia infausta sympto-
mata, quae interdùm gravissima sunt, sensim
mitescere et tandem desinere, praesertim si ae-
ger lecto longè affigi coactus est, tantùm le-
vi claudicatione debilitateque membra reli-

tis. Sed si post levamen hujusmodi, infastae notae redirent, plerūmque, ut supra dictum est, vehementiores sunt, macies manifestior est, et celerior progressus morbi summâ resolutione virium, et accidente lentâ hecticâ indicatur.

Jam memorata, quantum scio, constituant rationem signorum, quibus morbi diversa stadia notantur. Eadem semper in omni exemplo fore, non tamen expectandum; nam, ut Dominus FORD recte observavit, remedia administrata ad progressum strumae in articulo impediendum, aut vires constitutionis ejus impetui repugnantes, ea mutabunt.

Hic morbus plerūmque a primâ aetate usque ad decimum quintum seu vigesimum annum invadit. Doct. F. HOME notat viros et faeminas affectos talem inter se rationem habere, quam numeri quinque et duo; et etiam eum aetate provectiones invadere; quae sententia e nostrâ, de naturâ morbi, opinione discrepat, quoniam ad strumam pertinere

judicamus; cuius accessiones primâ aetate, plerūmque observantur; et plerique eorum qui morbo coxario laborant, aut nati sunt stirpe strumosâ, vel scrofulae notas, dum morbus adest, ostendunt. Notandum est, etsi quidam scriptor de hoc morbo tractans, Doctoris HOME auctoritate utatur, non tamen videtur, eum vera signa morbi coxarii memorare, sed nervosam sciaticam Cotunnii, morbum ei jam tractato valde dissimilem, et quem Doct. HOME remediis huic morbo minimè accommodatis felicitè tractavit.

Est coxae affectio huic de quâ nunc agitur consimilis, cui proiectiores aetate, et praesertim vetulae, obnoxii sunt; quae ex injuria partium articuli magis sensilium, ab homine cadente in majorem trochantrem oritur; et quae a morbo coxario, struma omnino carens, discrepat; JOANNES BELL de hoc morbo disserens notat; cum major trochanter violentè percutitur, caput ossis femoris deorsùm in eam partem acetabuli infigi, ubi adsunt ductus mucosi, et has teneras

partes contundi, unde statim fiunt dolor gravissimus, magna inflammatio articuli, et interdùm suppuratio atque caries acetabuli, et postea ankylosis; notat etiam, cum laedatur acetabulum, hoc membrum adeò esse ponderosum, ut ex motu minimo acerrimè doleat; hinc aeger febre et dolore exhaustus multos menses jacet, ad eam positionem corporis, quae optime toleratur, inclinatus, donec fiat ankylosis; tunc e lecto surgit, cum membro clando et extenuato, nêxu inter femur atque pelvem immutabili, ac femur saepe corpori magnopere prominet.

Interdùm fit, inflammationem desistere circa exulcerationem; et capsulae articuli, tendines, membranaeque circumjacentes ex inflammatione tantùm densantur, et articulus rigidus manet, rheumaticus sed mobilis et utilis, quantum dolor permittat. Dominus SAMUEL COOPER scribit, quando morbus coxae ab externâ violentiâ accesserit, progressum aliquantùm dissimilem esse descriptioni

jamjām traditae hujus partis alterius affectionis; dicit symptomata affectionem antecedentia, vehementem esse dolorem statim sub tempore lapsus percipiendum, et impotentiam membrum movendi; plūs minūsve doloris, intumescentiae, et febris, injuriam cito comitatur; nulla membrai conspicitur contractio, neque membrum pesve ullo modo mutatur; sed posteà femur gradatim contrahitur, et pes introrsùm vertitur; aegrotus sine dolore acuto moveri nequit, abscessus plerūmque in superiore et mediâ parte femoris fit; et si nullum salutis incrementum sit, hectica citiùs aut seriùs mortem inducit. Jam absolutâ historiâ mali, ad causas transendum est.

DE CAUSIS.

HAE parum intelliguntur; à nimiâ exercitatione, intentionibus, casibus, ictibus, et externâ vi omnigenâ dicitur oriri. Frigus diutiùs admotum saepissimè est causa. Dom. FAL-

CONER perpendit morbum originem plerumque ducere, ex corpore calefacto in humidam tellurem jacente; et hinc saepius plebi accedere; et apud illos, messores et lotrices, &c. praecipue obnoxios recenset.

Hic morbus frequentè occurrit cum causa nulla idonea potest redi, praeter indolem corporis strumosam, excitatam, et ad partem quandam spectantem; id quod in nonnullis constitutionibus ex causis quàm levissimis accidit.

Scrofula saepe corripit glandulas externas sine discrimine vitae, vires corporis insitae et valentiora remedia admota, tandem morbum radicitùs tollunt; sed quandocunque quodvis organum vitae necessarium invadit, aut partem paucis vasis instructam, sicut coxam; multò magis corruptit et resolvit partem, et medicina nihil valet. Etiamsi noxarum omnium morbum excitantium ignari sumus, opinor tamen strumam causam esse praecipuam. Doct. HEBERDEN notat, morbum

coxarium evidenter ad hanc pertinere, et alia strumosa indicia saepe ei accedere; et JOANNES BELL, in Principiis Chirurgiae, dicit causam principem hujusce morbi indolem esse strumosam; opinatur ossa nondum perfecta, magnam superficiem ossium, et repetitas injurias, quibus articulus afficitur, pondus corporis semper sustinendo, aliquid conferre; et imperfectam ossificationem centri articuli causam esse, qua ad strumam haec pars adeo opportuna est.

Aliqui scriptores tamen hoc malum saepe nihil cum strumâ commune habere sentiunt; quae sententia originem dicit ex morbo interdum proiectâ aetate accidente, cum ante nulla signa strumae prodierant; undè morbus carere omnino scrofulâ existimabatur; huic ratiocinationi non consentimus; quoniam constat strumosum hominem per totam vitam strumosâ exulceratione posse vacare, si omnis irritatio partium, quas scrofula maximè adoritur, caveatur. Verum est, scrofulam, maximè pulmoni et visceribus ab-

dominis post annum vigesimum contingentem, multò rariorem hunc morbum, proiectâ quàm primâ aetate, reddere; sed valde suspicor multa exempla, quae casui solummodo tribuuntur, ad scrofulam pertinere.

Audivi musculos psoam et iliacum internum contusos, quod parturientibus accidit, hunc morbum producere.

DE IIS QUÆ, CADAVERE INCISO,
PATEFIUNT.

PAUCÆ occasiones obvenerunt conspicendi corpora aegrotorum, qui, ineunte malo, mortui sunt. Tantùm legi unum exemplum hujusmodi, quod FORD, de morbo coxario disserens, memoravit. Ægrotus funestâ febre eo statu morbi occisus est, qui membro producto notatur; pauxillum puris reperturn est in cavo articuli, caput femoris paulum inflatum, ligamentum capsulare crassius erat, ligamentum teres naturaliter

acetabulo junctum; cotyles cartilago in unâ parte erosa est, parvo foramine facto, per quod acicula transire posset infra cartilaginem in superficiem internam ex uno latere ossis pubis; et ex altero, in os ischium, parte adversa seu externa ossis innominati magis quam cotyle corruptâ.

FORD ex hoc exemplo cogitavit se posse credere magnam cariem articuli sive in capite femoris seu in cotyle esse factam, antequam ullum externum symptoma hanc rem indicâisset; cum hic morbus cursu regulari per varia stadia procedat, et tandem in mortem desinat, conspicientes omnes partes articuli reperimus ruinâ implicari, magnâ parte ilii, ischii, et pubis carie corruptâ. Dom. FORD notat verisimile esse cariem totiès in cotyle incipere quotiès in capite femoris; nam ferè cariem ossis innominati multo ampliorem quam femoris esse observavit; hinc amputatio felicitè non potest fieri.

Repertum est acetabulum eò usque exul-

ceratum, ut caput femoris in ipsum cavum pelvis ascendat; intestinum etiam rectum penitus erosum; et profecto partes plerumque adeò mutantur, ut eas scrutari inutile esset.

Dominus J. BELL observavit, continuatatem membranae nutrientis ossium causam esse, quare in morbo simul nectantur; et raro fit carie caput femoris affici dum integrum sit acetabulum; sed quandocunque hoc ulcus incipiat (nam, uti ait, reverâ ulcus est, pariter ac abscessus carnis) morbus serpit a capite ossis ad acetabulum et exindè ad dorsum ossis innominati. Dom. FORD putat morbidam conditionem ossium cartilaginumque, quae articulum formant, veram causam omnium signorum quae in hoc morbo apparent. Nonnulli existimant cariem synoviâ ab acriore solito oriri; unde propositum est humorem effundere, arte factâ in articulo aperturâ. Dom. de HAEN integumenta et telam cellulosam hujus morbi sedem esse sentit, et tantum in stadio proiecto partes proximas articulo, affici; si ita res esset, sanatio-

nem faciliorem fore, topicis remediis adhibiti, quam plerūmque evenit, existimaremus. Dolorem a fricatione articuli inter movendum, crediderunt medici multò citius ortum iri, si morbus ipsius articuli esset.

RATIO QUORUNDAM SIGNORUM.

CLAUDICATIO et macies membra quae principio observari solent, inflammationi quae semper articulum plus minusve afficit tribuntur. Glandulae inguinis interdùm turgent, fortasse ex consensu qui inter eas et partem inflamatam intercedit. Ratio doloris, qui ad genu et exinde deorsum pergit, ex nervo sciatico sedi morbi vicino reddi potest; et sanè, dolorem plerūmque viam hujus nervi sequi, tam in hoc morbo quam in nervosâ sciaticâ opinor.

In hoc morbo sunt certae species dissimiles iis quae strumosas affectiones aliorum articulorum comitantur, viz. productio con-

tractioque membra. Productio, quae interdum fieri observatur, ad spatium plurium digitorum nondum plenè explicita est; et ab historia sectionis jam traditâ, adhuc difficilis est hujus signi rationem reddere; nam in eo exemplo productio in mortuo manifesta erat, nihil corruptionis erat ligamenti aut cartilaginis, quae inferiorem anterioremque partem acetabuli formant; et ligamentum teres naturaliter acetabulo adhaesit.

Veteres auctam longitudinem membra, in primo stadio hujus morbi ligamento orbiculari relaxato, aut cavo articulari, liquore effuso in capsulam, distento, attribuerunt.

Caput femoris tumidum cum densatione acetabuli a nonnullis scriptoribus ut causa hujus productionis memoratum est; sed morbidae mutationes hujusmodi nondum exploratae sunt.

Tubere seu parte inferiore ischii lateris affecti, deorsum extidente infra eandem sani

partem lateris comperto, JOHANNES HUNTER hancce membra productionem plerumque situi pelvis mutato tribuere ducebatur. Hoc de pelve a quibusdam scriptoribus observatum est, et praecipue a Dom. FALCONER, qui noluit huic rationi ut verae et comprobatae fidere; nam mutationem pelvis, aliquâ ex parte, membra pendentis ponderi tribuendam, putat. Quod ad contractionem membra spectat; Dom. BELL, membrum morbidum per octodecim menses seu duos annos, notat, nihil auctum fuisse, dum alterum membrum et reliquae corporis partes incrementum acceperunt; unde membrum affecatum semper contrahi, saepe inutile fieri observat. Magna contractio membra, inveterato morbo, potest explicari ab actione musculorum, qui magno trochantri adhaerent; ii etiam majore facilitate agunt, cum ex diuturnitate morbi, partes valdè corruptae sunt; et extremitas femoris superiori margini acetabuli recumbit. Cartilaginibus, ligamentis, &c. penitus deletis, summa fit contractio, et

vera luxatio sequitur; dum caput femoris dorso ilii innititur.

Hecticam cum dira cohorte signorum ab irritatione quam facit inflammatio articuli, aut ab puris absorptione, oriri putamus. Illam habere potestatem hanc febrem inducendi pro certo constat; quoniam hectica multò ante ullam ad suppurationem proclivitatem interdùm supervenit.

DE DIAGNOSI.

PRODUCTIO extenuatioque membra, dolor genu et molestia artum movendi manifestè hunc morbum a paralysi discernunt; a sciaticâ nervosâ dolore non citò invadente dignoscitur, sed permanente in genu, et non ut in ischiade, ad plantam pedis descendente; dolor morbi coxarii ad talum interdùm sed non ultrà descendit.

Luxatio ossis femoris aut fractura ejus cer-

vicis indicia iis similia quae huic morbo contingunt inducere possunt; crepitus qui, membro porrecto, auditur, et membra mobilitas, fracturam ostendunt; et, si accuratè scrutemur luxationis propria, nihil dubii manebit.

JOHANNES BELL, disserens de hoc morbo, ut aetati provectioni ab injuriis cuiusdam partis articuli contingit, hujuscemodi habet verba : “ This accident is attended with ex-
“ cruciating pain, and is clearly distinguish-
“ ed from fracture, because there is neither
“ crepitation nor shortening of the limb ;
“ from luxation, because the limb turns easi-
“ ly ; and from those and all other affections
“ by this, that though the limb turns easily,
“ and there is no mechanical obstruction,
“ the patient cannot suffer it to be turned,
“ every motion of the head of the bone rol-
“ ling against the injured parts of the socket
“ producing delirious and frantic outcries.”
Vide J. BELL, Princip. Chirurg.

Etiam si plerumque fit in morbo qui *psoas abscess* vocatur, abscessum apud inguen aut interiorem partem femoris prominere; tamen pus interdum serpit inter musculos dorsi, et tandem apud nates extrinsècus manat, juxta locum, ubi coxae abscessus frequentè se ostendit; hoc primo forsè aliquid dubitationis creare posset, donec symptoma psoae abscessui proprium, viz. sensum in regione lumborum debilitatis ac doloris juxta psoae musculi originem, sub pressurâ aucto recordemur; porro, psoae abscessui adest nulla productio contractiove membra, nec major trochanter, ut in morbo coxario, eminet.

Hunc morbum etiam a tumoribus trochantri majoris discernere medici interest.

DE PROGNOSI.

Ossa, non integumenta, hujus morbi sedes sunt, et quia ossa magno sensu non praedita,